

ve Domino curæ. *Quam in rem rectè scribit Hieronymus in commen-* Hieronymus.  
*tario super cap. 18. Ezech.* Omnes, inquit Dominus, animæ meæ sunt  
juxta creaturam, non juxta meritum. Ideò omnibus Deus bene-  
cupid, quia omnium Deus & Pater est. *Quod ipsum etiam Tremel-*  
*lius in notis supra Cap. 18. v. 4. observat, docetq;*, argumentum desumi  
à natura DEI, qua tanquam Pater amat omnes animas suas. *Æthio-*  
*logia*, inquit, est, (quando dicitur vers. 4. Ezech. 18. En omnes animæ  
meæ sunt, æquè anima Patris, atque anima filii meæ sunt) à natura  
studioq; Dei in res creatas suas. *Quod dicitis, vos injustè pœnam alienam*  
*luere vers. 3. ibidem* (respondet Jehova Judæis) *estis in me contumeliosi.*  
*Nam ego ut omnium creator sum, ita paterno studio erga omnes ducor:*  
*non possum à me temerè abalienare quemquam, sed si quis se abalienave-*  
*rit, sua injustitia evenit, non injuria mea.* Hæc ille. Rectissimè. Deus e-  
nim omnia, quæ sunt in natura diligit, ac nihil eorum, quorum est  
effector, abominatur, omnibus parcit, cum sit animarum amantis-  
simus *Sap. 11. v. 25, 27.* Similiter *Oseæ 11. v. 9.* Protestatur Dominus :  
Non faciam secundum iram furoris mei, non revertar ad disper-  
dendum Ephraim, quoniam Deus ego sum, & non homo. *Ecce Cau-*  
*sam, cur velit parcere, & non perdere, quia DEUS sum,* inquit Iehova.

II. Notetur vis vocis sive Emphasis verborum **חַפְנָה** חַפְנָה. Quæ interrogatio fortissimè negat, ut Tremellius & Piscator hic fateri co-  
guntur, & per vehementiam negandi disertè dicitur, **חַפְנָה נֶל** v. 32. non volo, renuo, aversor. Eam enim vim istius dictionis esse non  
modo ex acerrima DEI cum populo Judaico contentione, textusq;  
cohærentia constat, sed & ratio loquendi per se talis est. Sic Deuter.  
25. v. 7. **חַפְנָה נֶל** explicatur per **מִאֵן אָבֹה** & **לֹא אָבֹה**, non  
vult. Ita accipitur Job. 12. v. 14. Esa. 65. v. 12. Psal. 5. v. 5. Psal. 51. v.  
81. Esa. 1. v. 11. 13. Malach. 1. v. 20. &c.

III. Notetur genus mortis, quod h. l. intelligatur, non temporalis  
tantum, & violenta mors, sed spiritualis quoque, qua impii moriun-  
tur in suis peccatis, nisi pœnitentiam egerint. Notanter dicitur, nolo  
mortem morientis, sive pereuntis in suis peccatis. Adeo nullius pecca-  
toris mortem vult Dominus, nec ejus quidem, qui ob peccata sua  
moritur, peritque. Rectè Hieron. sup. c. 23. Ezech. h. l. Vita & mors  
hoc loco non significantur ea, quâ omnes communi cum bestiis  
lege naturæ vel vivimus, vel morte dissolvimur, sed illa, de qua

B

scri-